



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum  
theologiae scholasticae tomus ...**

**Rhodes, Georges de**

**Lugduni, 1661**

Qvæstio III. De Causis virtutum Theologicarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)



# De Causis Virtutum Theologicarum: 533

## SECTIO III.

*Verum Virtutes Theologicae ita sint essentialiter  
Virtutes ut earum actus non possint  
vnuquam esse mali.*

**H**æc controuersia licet difficillima dirimi tamen non difficile potest ex his qui disputata sunt de moralitate actuum humanorum : statuebam enim ibi omnino implicare vt idem actus supernaturalis, qui ex obiecto est bonus intrinsecè, sit extrinsecè malus ex fine ad quem dirigi potest ab operante : quo posito sequitur omnino implicare vt habitus supernaturalis sit vnuquam malus vel extrinsecè vel intrinsecè. Vnde tota hæc quæstio manere videtur soluta.

## QVÆSTIO III.

*De Causis Virtutum Theologicarum.*

**N**on alias hoc loco causas virtutum istarum considero quam efficientes, finalis enim sine dubio est Deus & beatitudo, subiectiua intellectus est & voluntas, formalis hæcenus exposita est. Circa causam efficientem tria sunt difficilia, per quam causam primò producantur, per quam augeantur intensiù, per quam destruantur.

## SECTIO I.

*De Causa per quam producit Virtus  
Theologica.*

**N**on est dubium quin Virtutes Theologicae aliquo modo & primò producantur & augeantur etiam per actus, nam habitus Fidei & primò producit & augeatur per actum Fidei. Deinde non est etiam dubium, quin habitus infusi quando primò producantur cum gratia, meritoriè solum producantur per actum quo producit ipsa gratia, quia gratia ipsa non nisi meritoriè producit. Difficultas itaque tantum est, vtrum quando vnus habitus producat per actum sibi proportionatum physice producat ab illo actu, an verò solus Deus physice illum producat, actus autem moraliter tantum & meritoriè.

Ratio verò dubitandi est quia primò, non maior inuenitur proportio inter habitum naturalem & actum naturalem, quàm inter habitum supernaturalem & actum supernaturalem, sed actus naturalis producit physice habitum naturalem, ergo habitus supernaturalis physice producit per actum naturalem.

**Secunda.** Secundò, tota ratio quæ probat habitus istos moraliter solum produci per actus, est quia, isti habitus sunt potentia, illa ratio nulla est, probaret enim quod ne moraliter quidem producerent, nullus enim est actus qui non præsupponat potentiam, sed actus non potest producere moraliter id quod præsupponit, ergo actus ne moraliter quidem producat habitum.

**Tertia.** Tertiò, habitus non est potentia respectu illius actus à quo producit, ergo ille actus potest physice producere habitum.

**Affertio prima.** Dicendum tamen est probabilius omnino esse quod habitus infusi Theologici & morales producantur solum moraliter ac meritoriè per actus, physice autem à solo Deo. Ita docent Theologi communissimè cum S. Thoma, 1. 2. quæst. 51. art. 4. Vasque disput. 74. Suarez lib. 8. de gratia cap. 4. de Lugo disp. 16. de fide sectione quarta. Coninck disputat. 7. dubio 3.

adeò vt contrariam sententiam aliqui damnent erroris & temeritatis.

Primò enim ex Tridentino sess. 6. cap. 7. aperte colligitur, dicit enim quod charitas in cordibus diffunditur eorum qui iustificantur, & quod homo accipit infusa hæc omnia Fidem, Spem, Charitatem, ergo ex Tridentino constat istas virtutes non primò produci per actus physice operantes, sed non est maior ratio cur habitus physice augeatur per actus qui præcedunt augmentum, quàm physice producat per actus qui præcedunt primam productionem : ergo si habitus isti primò producantur moraliter per actus, augeantur etiam per illos moraliter.

Deinde habitus vnus virtutis non producit physice neque augeatur nisi per id quod potest producere & augere simul habitus omnium virtutum, & gratiam sanctificantem, nam quoties augeatur habitus supernaturalis augeatur etiam gratia, & habitus omnium virtutum, sed nullus est actus virtutis qui possit physice producere habitus omnium virtutum, actus enim Fidei non potest physice producere habitum Spei aut temperantiæ, ergo actus non producit physice habitum. Imò certum est quod habitus iustitiæ v.gr. crebrius augeatur per actus aliarum virtutum quàm per actus iustitiæ, nam crebrius eliciuntur actus omnium Virtutum simul sumptarum, quàm actus solius iustitiæ, iustus enim vno die si eliciat centum actus virtutum, semel autem aut iterum eliciat actus iustitiæ.

Præterea si habitus isti producerentur physice per actus esset necesse vt etiam quoties homo est incapax meriti & caret gratia isti omnes actus producerent gratiam, nam peccator v.gr. sæpè multos elicit actus iustitiæ vel temperantiæ supernaturalis, & tamen certum est, quod tunc actus temperantiæ non producant habitum temperantiæ in homine peccatore, quia illi habitus non producantur vnuquam sine gratia, ergo signum est istos habitus produci meritoriè per actus non autem physice quod autem in peccatore augeatur habitus fidei sit ex indulgentia Dei, non augeatur autem connaturaliter.

Denique probabilis etiam ratio affertur, quia isti habitus non dant facilitatem potentia, sed sunt complementa intrinseca potentia productiua actuum, vnde argumentor : actus supernaturalis non potest physice producere, id quod præsupponitur existere debere prius quàm sit actus connaturaliter, sed actus supernaturalis antequam connaturaliter, existat præsupponit potentiam intrinsecè completam, ergo non potest producere physice potentiam vel illius complementum intrinsecum quod est habitus.

Dices, id valere tantum pro prima productione habitus non autem pro eius incremento, nam antequam augeatur habitus completa est potentia. Sed contra, sicut primus gradus intensiōis habitus complet potentiam ad producendum actum remissum, ita intensio ipsius habitus complet potentiam ad complendum actum intensum, ergo intensio habitus æquè habet rationem potentia ac prima productio habitus.

Ad primam Respondeo magnum esse discrimen inter habitus supernaturales, & acquisitos nam acquisiti etiam primò producantur per actus, & non habent villo modo rationem potentia, sed tantum facilitant potentias, quas supponunt esse completas : Virtutes autem supernaturales ( vt dixi ) non primò producantur per actus, sed à Deo infunduntur, & sunt complementa potentiarum quas non facilitant.

Ad secundam Respondeo quod causa moralis non debet

Probat.

Instantia.

Solutio  
primæ  
dubitationis.

Secundæ.

XXX 3



debet eodem modo existere, antequam existat effectus quo causa physica debet existere: nam propter merita Christi futura potuit dari præmium. Itaque quamvis certum sit, quod actus supernaturalis non potest etiam moraliter producere suam causam ut sæpè dixi, potest tamen moraliter producere complementum suæ causæ, plura enim exiguntur ad causandum physicè, quàm ad causandum moraliter. Propter hoc tamen argumentum fateor ultimam hanc probationem quæ satis vulgò afferri solet videri posse minus efficacem, sed aliæ sufficienter probant quod asserui.

**Tertia.** Ad tertiam Respondeo habitum supernaturalem esse complementum potentiae respectu omnium actuum qui producuntur connaturaliter: unde cum actus non producat physicè primum gradum habitus, sequitur quod reliqui actus producant etiam tantum moraliter habitum; sicut enim primus actus se habet ad primum habitum, sic secundus actus ad augmentum habitus, sed hæc omnia ut vides impugnant duntaxat rationem illam ultimam, quæ non est admodum efficax (ut dixi) sed tantum probabilis.

## SECTIO II.

### De Causis per quas intenduntur Virtutes Theologicae.

Secus  
quæstionis

**H**ÆC est controuersia inter Scholasticos celebratissima, quam ex tractatu de gratia, & de merito huc distuli, quia cum certum sit gratiam & habitum intensiue augeri per actus illos qui sunt intensiores habitu iam acquisito, v. gr. quod iustus habens gratiam ut duo, si eliciat actum ut sex acquirit nouum aliquem gradum gratiæ: dubitatur autem magnopere; vtrum gratia & habitus augeantur per illos etiam actus qui sunt remissiores gratia & charitate habituali quæ prius acquisita erat v. g. vtrum per actum charitatis ut vnum, augeatur gratia quæ iam habebat septem gradus.

Negatiuam partem sequuntur Thomistæ omnes cum S. Thoma 1.2. quæst. 114. art. 8. sed in modo tamen explicandi sunt valde diuersi.

Primo enim Bannes 2.2. quæst. 24. art. 2. absolute negat gratiam, & habitum, & gloriam augeri per actus vel æquales vel remissiores gratia prius acquisita, vult enim tantum quod eadem gratia prius existens incipit dari nouo titulo.

Secundo Conradus dicit gratiam non augeri quidem per actum remissum, tunc quando actus remissus elicitur, sed postea si homo adhuc viator se per actum intensiorem disposuerit.

Tertiò Caietanus & Aluarez volunt gratiam illam in hora mortis dari vel in introitu ad gloriam.

Prima ratio dubitandi.

Ratio autem dubitandi primo est, illa quam magnopere virget Bannes: si gratia & habitus Virtutum intenduntur per actus remissiores & æquales gratiæ præexistenti, sequitur quod augentur etiam per continuationem ipsorum actuum, consequens est absurdum, quod sic probat, quia si continuatio actus augeret intensiue habitum, sequitur quod in singulis instantibus horæ v. gr. quæ durat actus, tantum augeri habitum, quantum producit in primo instanti quo actus existit, tantus enim est valor eius moralis in secundo & tertio instanti quantus est in primo, sed certum est quod in primo produciatur pars aliqua determinata & diuisibilis, & aliquota tum gratiæ, tum habitus, ergo in singulis etiam instantibus dabitur pars determinata & aliquota: cum autem instantia illa sint infinita, sequitur produci partes determinatas & aliquotas infinitas, atque adeo per

quemlibet actum acquireretur augmentum gratiæ & habituum categorematicè infinitum.

Secundo, si per actus quoslibet remissiores vel æquales habitus augentur & gratia, sequitur omnino quod per quemlibet actum tot obtinemus gradus gratiæ ac habituum, quot sunt gradus in actu quem eliciamus, cum in eo nulla sit pars quæ non augeat habitum, consequens illud falsum est, quia sic per actum temperantiæ ut sex æquè mereremur sex gradus gratiæ, ac per actum charitatis ut sex, sicque virtus perfectior non esset magis meritoria quàm virtus imperfectior.

Tertiò, etiam habitus acquisiti non intenduntur per actus æquales aut remissiores habitu iam acquisito, alioqui daretur actio à proportionem minoris inæqualitatis, sed idem dicendum est de habitibus infusis qui producuntur meritoriè per actus secundum eandem proportionem, quæ producerentur physicè, ergo habitus supernaturales non intenduntur per actus remissiores, aut æquales.

Dicendum tamen est gratiam cum omnibus habitibus Virtutum, intensiue augeri per quemlibet actum remissiorem æqualem & per continuationem totam eiusdem actus. Ita tenent & fusè probant Victoria, Vega, Lorca, Maior, Almainus, Sorus, alique citati à Suare lib. 9. de gratia cap. 3. & 4. lib. 12. cap. 21. Valque prima secunda disputat. 54. & disputat. 220. capite quinto.

Primum autem fundamentum sit autoritas Concilij Tridentini sess. 6. cap. 10. & can. 24. & 26. vbi dicitur quod iusti per opera bona crescunt in gratia & virtutibus, sed actus remissiores & æquales sunt opera verè bona, dicit enim Concilium quod sic iustificati & amici Dei facti, euntes de virtute in virtutem renouantur de die in diem, per obseruationem Mandatorum Dei & Ecclesiæ, in ipsa iustitia per Dei gratiam accepta, cooperante bonis operibus Fide, crescunt atque magis iustificantur, sicut scriptum est: *Qui iustus est iustificetur adhuc*; & iterum *Ne verearis usque ad mortem iustificari*, vbi omnino patet quod Concilium docet nos per opera quælibet bona iustificari & crescere in sanctitate, propositio enim indefinita æquiualeat vniuersali: nam v. gr. cum dicitur à Concilio quod contritio formata Charitate, iustificat hominem, idem est ac si dicat omnis contritio charitate formata iustificat hominem.

Præterea idem enuncitur ex cap. 16. & can. 32. vbi Concilium condiciones meriti enumerans, duas illas esse asserit, ut bona opera hominis iusti mercedem in cælo accipiant, ut in Deo sint facta, & ut in gratia decesserint, sed opera remissiora verè in Deo sunt facta, id est in statu gratiæ, & ut suppono iustus decedit in gratia, ergo iustus mercedem ex operibus illis accepturus est. Imò addit ibi Concilium quod *Operibus in gratia factis nihil deest ad meritum*, ergo non requiritur ut sint intensiora quàm habitus gratiæ iam acquisiti. Denique refert ibi Concilium plurima testimonia scripturarum in quibus dicitur minima opera mercedem esse habitura, v. gr. calix aquæ frigidæ dicitur non cariturus esse mercede sua. *Momentaneum & leue tribulationis nostra, operatur æternum gloria pondus.*

Secundum fundamentum est multiplex etiam autoritas scripturarum quas Concilium ibidem affert, loquuntur enim de singulis bonis operibus indefinitè 1. ad Cor. 3. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum laborem suum: si cuius opus manserit mercedem accipiet*, id est si nullus in tali opere nouus fuerit; habebit præmium 2. ad Cor. 9. *Qui parce seminat parce & metet*, & sanè apud sanct. Mattheum & Lucam, illi qui acceptis talentis duobus fecerunt alia,



alia, accipiunt mercedem æquæ ac illi qui habentes vnam Mnam, fecerunt alias decem Mnas.

Tertium, fundamentum petitur ex euidentissimis absurdis, quæ sequerentur ex sententia contraria. Sit enim aliquis qui diuina charitate impulsus eliciat generosissimum actum ut centum per quem centum obtineat gradus gratiæ. Deinde toto reliquo vitæ tempore per annos triginta singulis diebus æquales actus eliciat intensos ut centum, ille nihil prorsus merebitur per actus illos omnes frequentissimos & feruentissimos qui sequuti sunt primum, æquæ ac si nihil omnino egisset. Magdalena v. g. nihil profuerunt in tota vita suæ lacrymæ, nihil actus omnes amoris qui non fuerunt intensiores actu illo perfectissimo, quem elicitur procumbens ad Christi pedes: quod est prorsus incredibile. Heri dans elemosinam cum feruore ut vnum, obtinui gratiam ut vnum, quare? hodie non similem assequar mercedem dans elemosinam cum eodem feruore ut vnum. Quæro vtrum ea merear priuari præcisè, quia heri dedi similem Elemosinam: quasi verò per hoc fiam indignus præmio: miles videlicet in bello, quia heri strenuè se gessit hostes repellendo, si eodem modo se gerat hodie, non merebitur amplius mercedem. Quemadmodum si heri ab amico centum accepi nummos, hodie autem alios accipiam centum, nihil posteriori hoc beneficio merebitur. Denique dicere quod actus Charitatis, ut octo, continuatus per annum non est dignus maiori præmio, quàm si duraret tantum per instans videtur absurdissimum, sequitur autem, si habitus non intenditur per actus æquales primo actui, volo enim ut pars posterior sit æqualis priori.

A priori ergo ratio illorum omnium est, quia illi actus remissiores, & æquales, & partes posteriores eiusdem actus, essent in se aliquid dignum præmio & laude si nullus præcessisset actus perfectior, sed ex eo quod actus perfectior præcesserit non sunt minus igni laude ac præmio illi actus, ergo merentur nouum præmium æquæ ac si nullus præcessisset actus perfectior.

Ex quibus omnibus reiecta manet primò sententia Dominici Bannes qui negat gratiam & habitus augeri per actus remissiores, sed vult tantum quod gratia iam obtenta nouo titulo detur, quod est reddere inanem & ludicram Tridentini definitionem, & tollere omnem rationem meriti, si mereor tantum ut eadem merces pluribus tribuatur titulis, hoc enim non facit hominem locupletiores aut beatiores.

Secundò, reicitur Conradus qui dicit gratiam non augeri per actum remissum, tunc quando elicitur actus ille imperfectus, sed postea quando viator se per actum perfectiorem disposuerit: quod etiam est prorsus improbabile, quia meritum vnus boni operis non suspendit, nec expectat meritum boni alterius operis, post multos fortasse annos eliciendi.

Tertio, reicitur Caietanus qui vult gratiam dari solum in hora mortis, & Aluarem qui vult expectari introitum ad gloriam, quod etiam vtrumque fictitum est ut aperte conuincitur ex allatis rationibus, si enim tali actui remissiori præmium ex hoc tempore deberetur, nulla est planè ratio negandi hoc præmium gratiæ differri ad aliud tempus, dicerem enim idem de toto merito.

Ad primam, ergo quam negat Bannes satis ab aduersariis suis percipi, Respondeo falsum omnino esse id quod infert, nimirum quod gratia & habitus augentur infinitè per quemlibet actum, si ex continuatione actus, & ex actibus remissioribus fiat augmentum, ratio est, quia fateor quidem quod in primo instanti datur pars aliqua determinata & aliquota gratiæ, sed tamen in sequentibus instantibus continuationis non datur nisi indiuisibile gratiæ, quia

scilicet in primo instanti datur gratia propter substantiam ipsius actus, id est quia elicitur actus amoris aut fidei: idè tunc meritum consummatur in vno instanti in posterioribus autem instantibus, nihil datur præcisè propter substantiam actus, sed tantum propter continuationem substantiæ actus, cum autem in instanti non sit illa continuatio nisi secundum vnum indiuisibile, sic non meretur nisi solum indiuisibile gratiæ ac habitus, in primo igitur instanti datur pars determinata & aliquota, in sequentibus instantibus datur tantum indiuisibile aut pars indeterminata, unde certum est quod augmentum intensum non est infinitum.

Instabis primò, hinc sequi quod homo sapius interrumpendo actum plus meretur, quàm qui perseverat constanter in eodem actu, v. g. qui sapius in oratione distrahitur, plus acquirit gratiæ quàm qui sine vlla mentis enagatione deuotissimè orat tota vna nocte, sequela illa est absurda, & tamen manifestè sequitur, quia si non fuisset distractus habuisset hoc instanti solum indiuisibile gratiæ, si autem post distractionem, iterum resumitur precatio tunc eo instanti accipio partem aliquam determinatam.

Respondeo primò, quidem eum plus mereri qui constans perseverat in eo actu, quàm illum qui sæpius interrumpit actum, quia nemo naturaliter toties potest actum interrompere ac resumere ut assequatur totum meritum eius qui non interrumpit, nam etsi plus merear eo instanti, quo resumo actum, tamen eo medio tempore interrupto nihil mereor, cum ille alter mereatur toto eo tempore per quod valde compensatur meritum primorum instantium. Deinde nego esse absurdum quod plus merear eo instanti quo resumo actum, quàm meruissim si non esset facta interruptio, hoc enim est per accidens nec est præmium interruptionis sed diligentia adhibita post interruptionem.

Instabis secundò, cum Hurtado disp. 143. §. 17. cui responsio illa quam attuli valde displicet, Indiuisibile gratiæ non cadit sub meritum distinctum à merito partium diuisibilium, sed per te non meremur in instanti continuationis partes gratiæ diuisibiles, ergo nihil meremur: probatur maior, quoties meremur partes gratiæ, meremur illas ut possunt existere, sed illæ non possunt existere sine suis indiuisibilibus, ergo non meremur indiuisibilia merito distincto à diuisibilibus. Imò certum est quod eodem merito quo meremur aliquid, meremur etiam id quod est ab eo inseparabile, sed indiuisibilia separari omnino non possunt à partibus, ergo eodem merito quo meremur partes proportionales, etiam meremur indiuisibilia.

Respondeo distinguendo maiorem, indiuisibile gratiæ non cadit sub meritum distinctum à merito partiali partium diuisibilium nego, à merito totali concedo: sicut enim partes illæ præmij cum indiuisibilibus faciunt vnum totum, sic partes actus meritorij cum suis indiuisibilibus faciunt vnum actum meritorium totalem, sicque partes præmij respondent partibus meriti & totum præmium toti merito respondet. Ad probationem similiter distinguitur maior, quando meremur partes gratiæ meremur illas ut possunt existere, meremur per singulas partes actus meritorij nego, meremur per totum actum meritorium concedo sicut enim est impossibile ut partes gratiæ sine suis existant indiuisibilibus, ita est impossibile ut actus sine suis existat indiuisibilibus: Similiter verum est quod eodem merito totali quo aliquid meremur, illud etiam meremur eodem modo quo potest existere, non meremur illud eodem merito partiali.

Instabis

Prima instantia.

Eius solutio.

Secunda instantia.

Tertium fundamentum ex absurdis.

Ratio à priori.

Reicitur Bannes.

Conradus.

Caietanus.

Solutio primæ dubitationis.



Tertia instantia.

Instabis tertio, si non datur in singulis instantibus continuationis nisi vnum indiuisibile gratiæ, & pars proportionalis in singulis partibus proportionalibus, sequitur quod actus Charitatis intensus vt octo non plus meretur in tota continuatione, quam actus intensus vt vnum, nam vterque in singulis instantibus meretur vnum indiuisibile non autem plura simul vt patet, ergo gratia quam meretur continuatio actus intensi non habet plura indiuisibilia quam gratia respondens actui remisso. Si autem in vtraque gratia sunt æqualia indiuisibilia certè sunt etiam æquales partes.

Eius solutio.

Respondeo eo argumento probari efficaciter nulla esse in continuo indiuisibilia realia & physica vt in physica demonstratum est potestque fieri eadem instantia in productione luminis quod cum contrario careat, producit sine dubio aliqua eius pars diuisibilis in instanti primo, & tamen augetur successiue per motum corporis luminosi si ergo infinita sint instantia, vel singulis instantibus producet pars determinata luminis, & sic lumen producet categorice infinitum, vel producet solum indiuisibile luminis, & sic luminosum vt octo non plus producet luminis, quam luminosam vt duo. Ex quibus & aliis argumentis dicebam efficaciter concludi, quod in continuo nulla sunt indiuisibilia realia, nisi per quandam designationem.

Argumentum de partibus proportionalibus.

Dices idem argumentum fieri posse pro partibus proportionalibus, si enim in singulis partibus proportionalibus continuationis, non producit nisi vna pars proportionalis, numerus partium proportionalium erit æqualis in vtroque merito & æquale præmium pro continuatione vtriusque.

Eius solutio.

Respondeo longè disparem esse rationem partis proportionalis & puncto, quia punctum nullas habet partes, vnde in eo non producit nisi vnum indiuisibile: pars verò proportionalis constat infinitis partibus proportionalibus minoribus & minoribus in infinitum, itaque in singulis partibus proportionalibus vtriusque meriti producit quidem vna proportionalis, sed continens infinitas alias; vnde non potest inferri quod æqualis sit numerus partium in vtroque præmio, quia quo tempore actus vt vnum producit vnā partem proportionalem, actus vt octo producit octo partes proportionales, atque ita falsum est quod in vnaquaque parte proportionali continuationis producat vna tantum pars proportionalis determinatè, sed indeterminatè, quia illa continet plures. Partes itaque proportionales non sunt æquales inter se, sicut æqualia inter se sunt puncta.

Quarta instantia.

Instabis quarto, facilius solui posse argumentum Bannes si dicatur quod homo actum eliciens amoris per horam non est liber in singulis instantibus horæ ad suspendendum actum; implicat enim contradictionem vt velim agere post primum instans quin actio mea duret per instantia infinita, nam post primum instans sequitur tempus in quo instantia infinita sunt, ergo implicat vt agam post primum instans, quin agam per infinita instantia. Placet hæc responsio quibusdam recentioribus qui eam sumpserunt ex Vasque 1.2. disp. 54. impugnat autem à Suare lib. 12. de Gratia, cap. 21. Et mihi sanè non videtur probabilis.

Responsio instantiæ non placet.

Primo quia in hac responsione supponitur quod homo non agit liberè toto tempore quo se determinauit liberè ad agendum, consequens est absurdum, quia tunc voluntas non habet necessitatem, nisi ex suppositione, quam certum est stare cum libertate. Deinde quamuis verum esset quod actio liberè inchoata non posset in singulis instantibus finire, non impediretur tamen continuatio meriti, nam ille meretur in illis instantibus, qui voluit liberè amare Deum

in illis instantibus, sed ille qui liberè voluit amare hoc toto tempore, voluit etiam amare in illis instantibus: ergo meriti respondere debet singulis instantibus. Tertio, sequeretur quod actus amoris non mereretur successiue continuè gratiam, sed per instantia interpolata, nam primo instanti acciperetur gratia pro integra morula sequenti, & ita insequentibus morulis, vnde haberetur præmium antequam esset præmium.

Ad secundam Resp. esse probabilius quod per actum quemlibet virtutis non mereretur tot gradus gratiæ ac habituum, quot sunt gradus intensiōis in ipso actu, & ratio est illa quæ affertur in argumento, actus enim Charitatis vt duo, v. g. non mereretur plures gradus gratiæ, quam actus temperantiæ item intensius vt duo, quod absurdum est, quia actus virtutis perfectioris sunt magis meritorij quam actus imperfectioris virtutis. Neque dici potest quod actus Charitatis vt duo meretur tres gradus gratiæ, vel etiam vt quatuor; hoc inquam dici non potest alioqui actus Charitatis vt duo produceret habitum Charitatis vt quatuor, vt sic inclinaret ad actum Charitatis vt quatuor, quod est manifestè falsum. Deinde omnino sequeretur quod in fine vitæ gratia reperiretur esse acta in infinitum. Neque verò id potest inferri ex eo quod actus remissior intendat habitum, quia cum continuum constet ex partibus in infinitum diuisibilibus, neque habeat vllum indiuisibile, certè non est necesse dicere quod singuli gradus gratiæ respondeant singulis gradibus actus boni, nam vnus gradus actus boni habebit, v. g. millesimam partem gradus gratiæ sic autem augmentum illud non in immensum excrescet, & tamen verū erit quod minimus actus bonus meretur aliquid gratiæ. Et hoc explicari & probari etiam potest exemplo rerum naturalium, lumen enim, v. g. vix vnquam producit lumen sibi æquale in spatio vicino, alioqui secundum illud lumen produceret tertium sibi æquale, & sic in infinitum, vnde fieret vt nunquam minueretur lumen, quod manifestè falsum est. Similiter ergo actus virtutis meretur gratiam, sed non meretur tot gradus gratiæ, quot sunt gradus in ipso actu.

Ad tertiam Respondeo habitus etiam naturales intendi per actus remissiores & æquales, quia producant illos vt causæ æquiuocæ, vnde fit vt non sit actio à proportionem minoris inæqualitatis, neque plus agit actus remissior quam prius egerit actus intensior, nam hoc est per accidens ratione subiecti melius dispositi.

Supererat hic vt dicerem, vtrum habitus Fidei & Spei augeantur intensiue per actus elicitos à peccatore, & quomodo in peccatore habitus isti maneant, vel destruantur, patet autem ex superiori tractatu quomodo per peccatum quodlibet mortale destruat totus habitus Charitatis, & habitus omnes Virtutum infusarum exceptis habitibus Fidei, & Spei illi enim soli stare possunt sine gratia ex indulgentia Dei. Deinde certum etiam est quod quantumlibet peccator producat actus Virtutum infusarum, non producit tamen in se ipso habitus actibus illis respondentes, præter habitus Fidei & Spei quos

produci & manere in peccatoribus probabitur sequentibus disputationibus.

\* \*